





THESES CONTROVERSÆ  
IVRIS NATVRAE ET  
GENTIVM

11 326

1726 179a

EX CAPITIBVS XV. PRIORIBVS  
LIBELLI

B. SAMVELIS L. B. DE PVFENDORFF

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

AC

TITII OBSERVATIONIBVS

SVBIECTIS COLLECTAE

PVBLICIS DISPVATIONIBVS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DANIELE FRIDER. HOHEISEL,

IVR. VTR. ET PHIL. D. AC REGIAE BORVSS.

SOCIET. SCIENT. SODALI,

VENTILANDAE.



HALAE MAGDEBVRGICAE

APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM

ANNO MDCCXXVI.

THESES CONTROVERSARUM  
IURIS NATURALIS ET  
GENTIUM

EX CAPITULIS XX PRIORIBUS  
LIBELLI

B. SAMVELIS L. B. DE PFENDORF  
DE  
OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

**Habebuntur disputationes  
ab hora X ad XII;  
sed si disputatio alia inciderit,  
ab hora VIII ad X,**

DANIEL FRIDER. HOHENSEL  
VIT. ET PHIL. D. AC REGIAE BORVSS.  
SOCIET. SCIENT. SODALI.  
VENTILANDAE



HABE MAGDERGICAE  
ABD JOHANNEM CHRISTOPHORUM KRASSIVM  
ANNO MDCCCLXXV





THESES.

DISPUTATIO I.

RESPONDENTE

JOHANNI NICOLAO OEMCHEN,

Boruff,

d. 31. Augusti H. L. O. G.

THESES. I.

**J**us Naturæ non magis nobiscum nascitur, quam Ethica, Politica, Theologia naturalis, mathesis &c. Nimirum eo tantum sensu nobiscum nasci dicitur, quod infra sit homini naturalis quadam dispositio judicandi, qua si recte utatur, *sibi relictus*, sine extrinsecus accedente *revelatione*, Juris Naturæ præcepta adsequi ac intelligere possit. *Occas. Pufend. lib. I. Cap. I. §. 4.*

THESES. II.

Utrum actionum humanarum norma sit *lex*; an *conscientia*, est *λογωμαχία*. *Occas. §. 5. Ibid.*

A 2

THES.

THES. III.

Ejus, qui legem ignorat, nulla est conscientia, prouti  
ejus, qui surdus est, nulla est de sono scientia: sed ille sequi  
debet conscientiam alienam. *Ibid.*

THES. IV.

Conscientia dubia plane non est conscientia. *Dissent. Ti-  
sius in Observ. ad Pufend. 18.*

THES. V.

Ambitio, avaritia, voluptas non nobiscum nascuntur, sed  
demum prava consuetudine atque educatione perversa produ-  
cuntur. *Occas. cit. Cap. I. §. 12.*

DISPUTATIO II.

RESPONDENTE

ERDMANN FRIDER. FINGER,

Sorav. Lusat.

d. 7. Septembr. H. L. Q. C.

THES. I.

**N**ulla oritur obligatio, five in statu naturali versetur, five  
civili, e pacto per *metum gravem* extorto. Talem autem  
voco perturbationem animi ex imminente malo, a quo na-  
tura abhorremus, & quod unica saltem ratione evitari potest, ortam,  
impellentem nos ad committenda talia, in qua absente isto periculo  
nunquam consensissemus. *Occas. Pufend. Lib. I. Cap. I. §. 16.*

THES. II.

Nihilominus tamen servanda sunt *pactis* pacta in statu na-  
turali.

THES.

THES. III.

Valet quoque contractus cum medico & pharmacopola honeste initus, licet *metus mortis*, ex morbo imminentis, nos ad contrahendum (veluti ad medicamenta emenda) incitaverit.

THES. IV.

In statu civili etiam standum est stipulationi *necessariæ*, seu ad quam iudex nos iuste *compulsit*.

THES. V.

Obligatio male definitur per *vinculum juris*. Est illa potius necessitas per legem imposita, qua actiones natura liberæ ad voluntatem legislatoris conformantur. *Occas. Puf. Lib. I. Cap. II. §. 3.*

THES. VI.

Falsum est, quod omnis legis duæ sint partes, præceptiva & *vindicativa*, seu pœnalis. Multæ enim leges nec sunt pœnales nec tales esse debent. *Occas. §. 7. Ibid.*

DISPUTATIO III.

RESPONDENTE

JUSTO FRIDER. BERNH. HELMKAMPFF,

Brunsv.

d. 14. Septembr. H. L. Q. C.

THES. I.

**F**ines inter rationem & revelationem sunt hi: Illa commendat nobis media, ad felicitatem humani generis & singulorum hominum *hujus ævi* obtinendam facientia; hæc autem ad salutem *æternam* (rationi prorsus *ignotam*) viam monstrat. Unde quando in Sacra Scriptura occurrunt veritates mathematicæ, politicæ,

liticæ, morales &c. ratio debet esse Scripturæ interpres. *Occaf. Puf. Lib. I. Cap. II. §. 16.*

THES. II.

Principium Juris Naturæ: *vive socialiter* vel occultam qualitatem continet; vel si secundum Pufendorffii mentem explicetur, est falsum. *Occaf. Puf. Lib. I. Cap. III. §. 7.*

THES. III.

Principium Juris Naturæ verum atque adæquatum est hoc: Cum eadem jura DEUS aliis hominibus concesserit, pro conservanda vita sua, corporis fanitate atque incolumitate, denique animi tranquillitate (h. e. pro *felicitate* hujus ævi) obtinenda, quæ tibi indulfit, ac tu inde (si abundantiam rerum creaturarum huic considerationi junxeris) satis intelligas, DEUM velle, ut totum humanum genus diu ac feliciter subsistat: hinc *fac ea, quæ felicitati & diuturnitati humani generis ac singulorum hominum inserviunt, omitte e contrario quæ eidem repugnant, eamque destruant, salvo tamen ubivis propriæ tuæ felicitatis jure.*

THES. IV.

Ex isto principio generali fluunt tria specialiora: Nimirum  
 1) fac ea, quæ diuturnitati ac felicitati *humane societatis in genere* inserviunt, omitte quæ eidem repugnant; exinde intelliguntur OFFICIA (ui *ILLUSTR. DN. THOMASIVS* illa vocat) HONESTI, seu ut nos loqui amamus: *officia indeterminata.*  
 2) Fac ea quæ felicitati *singulorum* hominum in individuo conveniunt, & omitte contraria, ita tamen, ut tu, jure tuo usus, *reciproca* officia ab *iisdem* impetres; unde deduci debent OFFICIA JUSTI, seu *officia determinata reciproca.* Denique 3) iis qui sine sua malitia infelices sunt, aut qui aliquid officii sine ullo dispendio tuo a te petunt, *gratis* inservire atque ad felicitatem eorum quidquam conferre allabora. Unde fluunt OFFICIA DE-



DECORI, seu officia determinata unilateralia, uno verbo: beneficia. Atque hisce triplicis generis officiis univ[er]sa jurisprudentia civilis superstructa est, ac doctrina Juris Naturæ solida superstrui debet.

THES. V.

Ex voluntate DEI Jus Naturæ vim suam atque efficaciam fortitur, sola autem natura nos obligare nequit. Dissent. Excell. DN. WOLFFIUS in Doctr. morali. §. 8. & 9. Occas. Pufend. Lib. I. Cap. III. §. II.

THES. VI.

Quod detur Jus divinum positivum univ[er]sale politicum, nondum satis evictum est a Theologis ac Philosophis. Occas. Observat. Titii 91. num. 7. sqq.

THES. VII.

Controversia hæc quoque inutilis est; omnia enim præcepta positiva, quæ vulgo laudantur, aut præcepta non sunt; aut univ[er]sum humanum genus, non obligant; aut ex sana ratione deduci possunt ac debent.

DISPUTATIO IV.

RESPONDENTE

IOHANNE CASPARO WOLFF,

Stada-Brem.

d. 21. Septembr. H. L. Q. C.

THES. I.

Non datur Jus Gentium voluntarium ac univ[er]sale a Jure Naturæ distinctum. Dissent. Gror. de Jure B. ac P. Lib. I. Cap. I. §. 14. Occas. cit. Observ. Titii 91. num. 25.

THES.

THES. II.

Athei doctrinas suas publice proponere merito sub gravissimis penis prohibentur, cum reipublicæ maxime interfit, homines de existentia ac providentia DEI esse persuasos. *Occas. Puf. Lib. I. Cap. IV. §. 2.*

THES. III.

Quæstio est nullius momenti: an atheismus superstitione; num hæc illo fit deterior.

THES. IV.

Nulla dantur officia erga nosmet ipsos, sed jura tantum nobis competunt: Nihilominus tamen quædam circa nos agere atque omittere debemus, & quidem ob officia erga DEUM & homines. *Occas. Pufend. Lib. I. Cap. V. §. 1. Dissent. Titius in Observ. subjecta.*

THES. V.

Mortem subire in gratiam reipublicæ, si quis hujus salutem tali modo promotum iri probabiliter credat, laudabile; nemini tamen absolute præceptum est. *Occas. Lib. I. Cap. V. §. 4.*

THES. VI.

Vitam suam servare cum internecione alterius, sive aggressor is fit, sive innocentissimus, licitum est, dummodo periculum aliter effugi nequeat. *Occas. §. 6. Ibid.*

THES. VIII.

In statu naturali res nostræ cum internecione hostis licite defenduntur. *Occas. §. 8. Ibid.*

THES.

THES. VIII.

In statu civili si prædones vel fures nocturni nos aggrediantur, idem dicendum. *Occas. §. 8. & 9. Ibid.* Multum vero interest, utrum dicamus id fieri ob vitæ periculum, an ob deficientem rerum recuperandarum spem. *Dissent. Titius in Observ. 139. Ibid.*

DISPUTATIO V.

RESPONDENTE

GEORGIO CHRISTIANO WOLFFIO,

Stad. Bremensi.

d. 28. Septembr. H. L. Q. C.

THES. I.

**C**ertamina singularia in statu civili sunt licita, si consentiente Principe fiant; qui tamen illa raro, nec nisi gravissimis ex causis concedere debet. *Occas. Pufend. Lib. I. Cap. V. §. 13.*

THES. II.

In casu necessitatis (veluti in navigio si vitæ subsidia deficiant) licitum est domino panem eripere, quavis violentia adhibita; quem tamen dominus eadem vi rectissime defendit. Sic quoque post factum naufragium, si quis tabulam occupavit duorum non capacem, juste is in aquam projicitur ab altero; sed & idem adnatantem & dejecturum licite repellit: Atque hoc sensu necessitas lege carere rectissime dicitur. *Occas. §. 2. Ibid.*

THES.

B

THES.

THES. III.

Læſionis illatæ reparatio nihil eſt aliud, quam *actus*, quo *ledens efficit, ut læſus* (quouſque id fieri poteſt) *non amplius ſentiat ingratos & felicitati contrarios effectus, e læſione commiſſa in ipſum redundantes.* Ergo actione injuriarum, qua revocatio & declaratio honoris petitur; item actione ex ſtupro, ad dotandum vel ducendum tendente, nulla vindicta, ſed ſolummodo læſionis illatæ reparatio quaeritur. Ex dictis patet, falſam eſſe communem doctrinam, quod omnis actio vel ſit rei perſecutoria, vel pœnalis. *Occaf. Lib. I. Cap. VI. §. 4. ſqq.*

THES. IV.

Si ſervus alienus cuiquam nocuit, aut damnum ſarciendum, aut ſervus noxæ dandus eſt ex naturali æquitate. *Occaf. §. II. Ibid.* Non idem juris eſt, ſi animal brutum ſine culpa domini contra naturam generis ſui cuiquam nocuit. *Diffent. Pufend. cit. l. §. 12.*

THES. V.

Is demum error, qui excludit contrahentium in *idem placitum* conſenſum, vitiat pactum. *Diffent. Pufend. Lib. I. Cap. IX. §. 12.*

THES. VI.

Omnis autem dolus alterius contrahentium efficit, ut *deceptus ad fidem datam ſervandam haud obſtringatur.* *Occaf. §. 13. Ibid.*

THES. VII.

Quod intuitu turpis facinoris ex contractu præſtitum, *adhuc repeti poteſt.* *Diffent. Pufend. cit. loc. §. 18.*

THES.

THES. VIII.

Falsa est distinctio inter conditiones suspensivas & resolutivas. *Occas. §. 20. Ibid. Dissentiunt Jcti.*

DISPUTATIO VI.

RESPONDENTE

CONRADO DIETERICO VOLCKMANNO;

Hamburgens.

d. 5. Octobr. H. L. Q. C.

THES. I.

**F**alsum est, quod circa significatum vocum & sermonis pactum aliquod sive expressum, sive tacitum, inter homines, eadem lingua utentes, intercesserit. *Dissent. Pufend. Lib. I. Cap. X. §. 2.*

THES. II.

Falsa est regula Juris Naturæ; quod illi, qui eadem lingua utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout usus cujusque linguæ fert applicare teneantur. *Dissent. Pufend. cit. loc. §. 2.*

THES. III.

Circa sermonem non peculiaris aliqua ac nova occurrit obligatio; sed prouti nemini nocere debemus, cui nocendi nullum

B 2

jus

ius nobis competit; ita nec per *sermonem* cuiquam nocendum est, nisi ius nocendi sit quæsitum. Quare falſiloquium non ſolum ſæpiſſime licitum, ſed & præceptum eſt. *Occaf. Puſend. Lib. I. Cap. X. §. 3. 5. 6.*

THES. IV.

*Veritas* alia eſt *logica*, alia *moralis* ſeu *ethica*, nec datur *tertiæ* generis veritas. Illa eſt convenientia cogitationum & idearum noſtrarum cum natura rei de qua cogitamus: hæc eſt convenientia ſignorum externorum (potiſſimum verborum) captui alterius, cui illa edimus, accommodatorum, cum interna animi noſtri perſuaſione. Atque hæc veritas hæcenus indifferens eſt; ſed ſi proferatur eum in finem, ut officia aliis hominibus debita iisdem exhibeantur, præcepta eſt. *Occaf. Puſend. Lib. I. Cap. X. §. 7. & Obſervat. Titii 252.*

THES. V.

Hoſtem variis ſtratagematibus in errorem pellicere atque ita eidem imponere, ſive verbis, ſive factis id fiat, licitum eſt. *Occaf. §. 9. Ibid.*

THES. VI.

Aſt pacto eundem decipere, aut pacta cum ipſo inita explanatione eludere cavillatoria, Juri Naturæ contrariatur. *Occaf. §. 10. Ibid.*

DISPU

## DISPUTATIO VII.

RESPONDENTE

JOH. ERNESTO SCHIMMELFENNIG,

Gedan.

d. 12. Octobr. H. L. Q. C.

THES. I.

**P**er juramentum nova obligatio promisso haud accedit, unde si pactum sit nullum, vel promissum frivolum, juramento adjecto vim haud fortitur novam. *Occas. Puf. Lib. I. Cap. XI.*

S. 2. &amp; 6.

THES. II.

Sic votum cœlibatus aut certi vitæ generis amplectendi, licet juratum, non tamen simpliciter obligat, nec per id, quod tale promissum executioni dare jurans detrectat, abusus nominis divini committitur.

THES. III.

Qui religionem aliquam jurato professus, eidem usque ad ultimum vitæ halitum adhæsurum se promisit, salva conscientia aliam amplecti potest religionem.

B 3

THES.

THES. IV.

Dominium cœpit ab occupatione; non a pacto hominum aut donatione divina. *Dissent. Pufend. Lib. I. Cap. XII. §. 2. & Titius ad hunc loc, Obs. 277.*

THES. V.

Jura realia sunt infiniti numeri ac varietatis, & falluntur, qui quinque tantum species juris in re statuunt. Cæterum omnia jura realia, privatorum persequi in judicio ita possumus, ut actiones civiles de hæreditate, dominio, servitute, pignore & possessione data ad id. sufficiant; atque inde evenit, ut quinque vulgo statuuntur jura in re. *Occas. §. 3. Ibid.*

THES. IV.

Aër ne quidem pro parte est in cujusquam dominio. *Dissent. Titius ad Pufend. §. 4. cit. loco. Observ. 287.*

THES. VII.

Thesaurus ubicunque, etiam in re aliena repertus, de Jure Naturæ cedit occupanti. Unde hoc hodie adhuc obtinet, si thesaurus in re aliena *mobili* reperiatur. *Occas. §. 6. Ibid.*

THES. VIII.

Quod hodie aves, pisces, feræ, metalla, in fundis alienis inventa atque occupata, Principibus passim acquirantur, id non in



in genere ob statum civilem fit, sed ideo quod hic modus acquirendi Principi speciatim per pacta, vel expressa, vel tacita est assignatus, ut eo minus graventur cives, qui alias ex bonis, sibi jam perfecte quæsitis, sumptus omnes suppeditare cogentur. *Occas. cit. loc. §. 6.*

THES. IX.

Si per industriam alicujus ex materia aliena nova species efformetur, fit illa communis. *Occas. §. 7. Ibid.*

DISPUTATIO VIII.

RESPONDENTE

GEORGIO LEOPOLDO HOYERO,

Mohus. Thuring.

d. 19. Octobr. H. L. Q. C.

THES. I.

Successio ab intestato non est ex Jure Naturæ. *Occas. Pusend. Lib. I. Cap. XII. §. 10. Nec successio ex testamento. Dissent. Titius ad Pusend. cit. loc. Obs. 306.*

THES. II.

Unde Principum testamenta, quatenus de successione in regna agunt, invalida sunt, nisi hoc jus testandi speciatim Principi a populo sit concessum; eatenus autem iis standum, quatenus Princeps de privato patrimonio suo disponit.

THES.

THES. IV.

De Jure Nat. dominia rerum ut & alia jura realia per solum contractum sine traditione transeunt, *Occas. Titii Obs. 309.*

THES. V.

Usucapio non est juris Naturæ, sed potius ex mero Jure Civili, fundatur tamen in prudentia legislativa, *Occas. S. 5. Ibid.*

THES. VI.

Derelictio tacita de Jure Nat. firmum acquirendi titulum tribuit, sed illa cum præscriptione atque usucapione minime est confundenda, *Occas. Titii Observ. 312.*

THES. VII.

Possessio immemoralis possessorem reddit securum, sed hæc a præscriptione ac usucapione toto cælo differt.



Halle, Diss., 1726 C-Z

ULB Halle

004 306 988



3

f

5b.





THESES CONTROVERSÆ  
IVRIS NATVRAE ET  
GENTIVM

11 326

1726 17a

EX CAPITIBVS XV. PRIORIBVS  
LIBELLI

B. SAMVELIS L. B. DE PVFENDORFF

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

AC

TITII OBSERVATIONIBVS

SVBIECTIS COLLECTAE

PUBLICIS DISPVTATIONIBVS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DANIELE FRIDER. HOHEISEL,

IVR. VTR. ET PHIL. D. AC REGIAE BORVSS.

SOCIET. SCIENT. SODALI,

VENTILANDAE.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM  
ANNO MDCCXXVI.

